



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas**

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ Agrippinæ, 1709**

XXVII. Augusti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

SS. Aurelius & Natalia conjuges mutuo pacto castitatem & thorum immaculatam se servaturos promiserunt. Adfuit iis Christus cum charissima Matre, & pio eorum proposito benedixit; martyriumque prædixit, quod constanter subiverunt. *Vita. Casti Temper fortiores.*

SS. Aureli & Natalia qui scalas ad usque cœlum protensas vidistis, orate pro me Deiparâ, ut & mihi benedicat, & quæ peccatorum scala est, mihi quoque scalam exhibeat, per quam anima mea corpore soluta sursum feratur ad cœlum. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima te go N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusq; tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum possibile erit, placere & servire desidero. Hoc unum per pretiosissimum JESU Filii tui sanguinem, &c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: Actionum principio benedictionem à Deip. implorabo.

Dum illam Matrem DEI appellamus, clavem regni cœlestis in manu sua ad portas referendas paradysi, cuicumque libuerit, habere cognoscimus. *S. Bernard. to 1. ser. 42.*

Quæstio: Quotâ die post obitum Deipara in cœlos assumpta sit? *v. Barrad. to. 1. in Ev. c. 13.*